

quoad absolutionem. Vide verb. Absolutio, ubi late per totum, & verb. Complex peccati ad num. 1. ad 4.

ARTICULUS IV.

Quoad varia alia, quae concernunt Confessarium.

SUMMARIUM.

- 1. Confessarius tenetur absolovere penitentem aliis dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius penitentis, etiam contra propriam opinionem.
- 2. Confessarius nec debet, nec potest absolovere peccatores recidivos, & consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, naturae, & ecclesiae, si nulla in ipsis appareat spes emendationis.
- 3. Nec potest Confessarius absolovere penitentem, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, & non vult dimittere, quinimo directe, aut ex proposito querit, aut ei se ingerit, non excusante, quod illa occasio multam conferat utilitatem.
- 4. Nec potest Confessarius absolovere penitentes, quos cognoscit culpabiliter ignorare mysteria fidei, & praecipue illud Sanctissimae Trinitatis, & Incarnati Christi Domini.
- 5. Nec potest Confessarius in magno penitentium concursu ipsos solummodo dimidiare audire, & absolovere, sed debet ipsos sigillatim integre audire, & non nisi integre confesos absolovere, & dimittere.
- 6. Religiosi semel simpliciter approbati possunt in diocesi Episcopi approbantis etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione tenentur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum, saltem per scripturam apud ipsos infirmum relinquendam, certiore reddere.
- 7. Valde convenit, aut Confessarii extra casum infirmitatis, aut alterius honestae causae, nonnisi in ecclesia audiant confessiones.
- 8. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium approbavit Ordinariam constitutionem, qua prohibebatur, quod Regulares non audirent confessiones secularium in propriis cellis.
- 9. Confessarii sine necessitate audire non debent multum confessiones post crepusculum vespertinum, & ante auroram.
- 10. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium laudavit prohibitionem audiendi mulierum, & puerorum confessiones extra sedem confessionalem, vel e conspectu, & non interposita cruce sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, & postea literis encyclicis hoc idem injunxit Sacra Congregatio Inquisitionis.
- 11. Confessarii possunt juberi ab Episcopo, ut denegent absolutionem parentibus notabiliter contumacibus quoad filiorum educationem in rebus ad animarum salutem spectantibus.
- 12. Subnectuntur supplementa Auctoris, ad n. 64.

Praemonitio Censoris Theologi.

Opinio, quam numero primo recenset, atque inculcare videtur Auctor, Romanis Censoribus non placuit. Quamobrem de eorum sententia praemonendos hic Lectores duximus. Nec dubitamus, quin attendentes ad Confessarii munia statim intelligant, falsam esse opinionem, quae praedicat, teneri Confessarium ad conformandum se voluntati penitentis, quem absolvat, etsi hanc minus probabilem, atque hanc speculative falsam existimet. Nemo ignorat, Confessarium Dei vices in tribunali sustinere, atque Doctorem, Judicisque personam gerere. Si ut gerere velit, doceat, instruat, atque illum penitentem necesse est; & si Judicem à Deo constitutum se ostendere velit, absolovere, aut ligare penitentem debet, prout ex sententia, quam habet in Domino, judicaverit. Haec sane sunt mnia, quae ex Christi institutione Con-

fessarius exerceat. Contra vero penitens ad illius tribunal accedere tenetur humiliter, demisso, atque contrito animo, ut à Doctore erudiatur, à Medico salutaribus monitis, & satisfactionibus curetur; & ut à Judice Sententiam exposcat, atque obtineat juxta legem, cujus is custos, atque interpres habetur. Dum ita rem concipimus, ut concipienda, atque existimanda revera est, fieri ne potest, ut statuumus, teneri Confessarium ad accomodandum se opinioni penitentis, atque ad hunc absolvendum, non solum dum cognoscit probabilis esse versari in periculo perditionis; sed etiam dum id speculative ipse certum omnino habeat. Ubi enim tum munus Doctorem in Confessario esset, si penitentem non moneret, viam, quam ipse tenet, probabilis in infernum ducere, immo juxta propriam opinionem etiam certò? Ubi munus Medici, si non curaret, ut penitentem juxta eam, quam ipse salutarem, ac peccato inimicam doctrinam agnosceret, deinceps viveret? Ubi denique Judicem se ostenderet, si juxta rem opinionem, & contra propriam sententiam reum penitentem absolvere teneretur? Audi S. Bonaventuram Confess. c. 4. ita exclamantem: O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei, & reus judicis officio obtemperare non tenetur? Itaque si Confessarius post diligens examen veram, aut verisimiliorem judicat propriam opinionem, absolutionem penitentis impertiri non tenetur opinione contraria persuaso, sed instruere, ac monere eum potest, ut juxta propriam absolutionem vitam instituat; & si id renuat, potest etiam absolutionem negare, ac etiam debet, dum eam in penitente animi dispositione non agnoscat, quae necessaria in eo est, qui humiliter, atque contrito animo ad Sacerdotem accedit, è cuius labiis divinam legem exquirere debet. At si penitens habet opinionem, quam judicat probabilior, & verisimilior; tum Confessarius minus doctus, etsi praeventus opinione contraria, dum deprehendat penitentem doctum non duci pravo affectu, poterit, inquit P. Gonzalez, primum judicium deponere, & doctrinam probabilioris penitentis assumere, suamque facere, & illam absolvere; sed caute procedendum Confessariis, ac cavendum semper, ne minus probabilibus, ac laxis penitentium opinionibus indulgeant; recte enim Dei nomine judicare ipsi debent; at non judicant, dum probabilis existimat contra Deum legem judicium esse; & dum eum absolvant, quem juxta propriam sententiam probabilis censeant Deum legem violaturum. Negat hic R. Theologus, posse ac debere Confessarium contra propriam opinionem absolovere penitentem aliis dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius penitentis; & adducit pro se S. Bonaventuram in Confess. cap. 3. sic exclamantem, & inclamantem! O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei, & reus judicis officio obtemperare non tenetur. Et tamen in S. Bonaventura in dict. Confessionali, tom. 6. edit. Rom. ex Typographia Vaticana, ann. 1596. loc. à Theolog. cit. nullimode reperitur falsò allegatus textus. Unde videtur eruditus Lector, quid in his, & similibus sit sentiendum; tum quia ultra à me ibi dicta, & allegatos Auctores, plures, ac plures alii classici Doctores etiam in latioribus terminis, quam mea conclusio, id defendunt; & signanter clarissimus Sporer t. 3. Theolog. sacrament. part. 3. c. 6. sect. 4. g. 3. num. 1. expresse dicens, quod Confessarius tenetur sub mortali absolovere penitentem rite dispositum: Idque etiam verum est, quando penitens sequitur opinionem vere probabilem contra opinionem propriam, quantumvis probabilioris Confessarii; adhuc enim est recte dispositus per probabilem Doctorem sententiam, solens vitare peccatum, ut ex communi doctrina alibi explicata, id est, tom. 1. de conscientia probabili, num. 47. expresse tradens: Quod Confessarius in judicio sacramentali etiam contra propriam opinionem sibi magis probabilem, & tutam vitam, tenetur se conformare opinioni probabili, & tute penitentis, & dicit, quod est communis, & certa sententia Navarri, Suarez, Sanchez, Vasquez, & aliorum cum Layman, & Bardi. Et supra num. 43. jam concluserat, quod quilibet potest prudenter sequi opinionem vere probabilem, & vere tutam, nihil obsta-

stante, quod alla opinio opposita sit, vel appareat probabilior, ac tutior, & ad id ultra alios à se ibi adductos, dicit, quod quinquaginta duos citat Pasqualigus de citione moralium decis. 5. n. 3. addens sub n. 44. Id etiam contra propriam opinionem probabiliorum, & tutiorum vitam. Et celeberrimus La Croix editionis Mediolanensis 1724. tom. 1. lib. 1. de conscientia, n. 443. ad q. 54. "An Confessarius possit vel debeat contra propriam opinionem, etiam probabiliorum, absolovere penitentem, qui tenet oppositam probabilem, & de reliquo rite est dispositus?" Ibidem sub n. 445. sic praecise respondet: Supposito casu questionis, vel alio simili, omnino videtur certum, quod Confessarius tenetur absolovere penitentem, ita docent auctores communissime, inter quos Victor. in sum. de confess. n. 178. citans Palud. & Goffred. Navarri in manual. c. 26. n. 4. citans Adrianum, Reginaldum de prud. confess. c. 3. sect. 1. §. 1. n. 7. Angelus de Clavasio, qui floruit circa annum 1480. in sum. verb. Confessio §. 2. Joannes Wider sub ann. 1430. in consolat. timor. conc. 3. part. c. 12. & 15. citans praeterea Claromontensem, & Erdemberg, Dominic. Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Tolet. lib. 3. instruci. Sacerdot. cap. 20. Suarez tom. 2. tract. 3. dist. 12. sect. 6. Diana part. 1. tract. 3. R. 11. addens; licet putet, opinionem penitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem; Layman, & Schild. tract. 12. n. 121. Carden. in addit. ad 1. crism. n. 13. 14. & seq. Mendo in stat. dist. 13. n. 205. Stoz. lib. 1. part. 5. n. 117. & lib. 2. n. 131. Optime Teril. in reg. q. 47. Ills. §. 1. dist. 1. n. 71. & ibi usque ad n. 453. efficaciter probat, & solvit objectiones. Et missis pluribus aliis Felix Potestas tot vicibus impressus, & reimpressus in examine Confessariorum, tom. 1. part. 1. n. 73. sic expresse tradit, tertio, teneri Confessarium absolovere penitentem aliis dispositum juxta sententiam ipsius penitentis, dummodo sit vere probabile, quia penitens habet jus ad eligendam opinionem vere probabilem, & ut aliis dispositus absolvat. Et nostram sententiam defendit novissime cum pluribus aliis D. Alfonso de Lignori loc. cit. c. 16. punct. 6. n. 118. ubi postquam dixerit, "quod lo negano Pagnan. Elizal. Concina, Antoine, ed altri fautori della più rigida sentenza, dicendo, che nel Sacramento della Confessione è giudice il Confessore, ed il penitente deve stare al giudizio del suo Giudice. Ma la sentenza comune insegna, che il Confessore in tal caso può, & è tenuto assolverlo sotto colpa grave... & plurimis citatis sequitur sic: ed in ciò consentono anche molti Autori Probabilioristi, come Viganò, Pontas, Vittoria." Videatur ipse ibi n. 118. & 119. ubi multa ad rem. Confessarius tenetur conformare se quoad judicium sacramentale opinioni penitentis, si ejus opinio sit vere probabile, etiam contra propriam opinionem. Unde Confessarius tenetur absolovere penitentem aliis dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius penitentis; si enim penitens bona fide sequatur sententiam, quae à probatis Auctoribus tanquam tuta, & probabilis defenditur, Confessarius vero eam speculative improbabilem censeat, tenetur Confessarius deponere, ac relicta propria opinione penitentem absolvere; quia penitens habet jus eligendi opinionem vere probabilem, & ut aliis dispositus absolvat. Sic Sanchez lib. 1. de cal. cap. 9. num. 27. & seq. Cardenas disput. 56. n. 1144. & disp. 17. num. 85. cum communiori Doctorum. Immo Layman. l. 1. tract. 1. cap. 5. num. 10. dicit reprehendendos esse Confessarios, qui aliter faciunt. Reprehendenda, dicit ipse, est quorundam Confessariorum consuetudo, qui veriti penitentem contra propriam sententiam absolvere, eundem ad alium Confessarium ablegant, qui oppositam opinionem probabilem tenet; si enim ille alter absolovere potest, cur non & tu possis? aut cur tua speculativa persuasio penitentem obesse debeat? In rebus ad animarum salutem spectantibus Confessarius nec debet, nec potest absolovere peccatores recidivos, & consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, naturae, & ecclesiae, si nulla ipsis appareat spes emendationis; ita communis post expressam damnationem sequens propositio ordine 60. inter dam-

natas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. ibi: Penitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, & ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. Nec potest Confessarius absolovere penitentem, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, & non vult dimittere, quinimmo directe, aut ex proposito querit, aut ei se ingerit, non excusante quod illa occasio multam conferat utilitatem; sic expresse habetur ex propositionibus damnatis ab eodem Innocentio XI. una ordine 61. ibi: Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito querit, aut ei se ingerit; altera ordine 62. ibi: Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrat. Nec potest Confessarius absolovere penitentes, quos cognoscit culpabiliter ignorare mysteria fidei, & praecipue illud Sanctissimae Trinitatis, & Incarnationis Christi Domini; ita expresse idem Pontifex in propositione damnata ordine 64. ibi: Absolutionis capax est homo, quantumvis labores ignorantis mysteriorum fidei, & etiam, per negligentiam etiam culpabilem neciat mysterium Sanctissimae Trinitatis, & Incarnationis Domini Jesu Christi. Nec potest Confessarius in magno penitentium concursu ipsos sigillatim integre audire, & nonnisi integre confesos absolovere, & dimittere. Ita etiam expresse habetur ex definitione ipsius Pontificis in propositione damnata ordine 59. ibi: Licet sacramentaliter absolovere dimidiare tantum confesos ratione magni concursus, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, seu Indulgentiae. Religiosi semel simpliciter approbati possunt in diocesi Episcopi approbantis quovis anni tempore etiam paschali, & quoruncumque, etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione tenentur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum illico certiore reddere, & hoc potest illis ab Episcopo sub poena suspensionis à facultate audiendi confessiones praecipui sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsos infirmum relinquendam; sic expresse statuit Clemens X. in constitut. incipit Superna: & jam antea declaraverat Sacra Congregatio Episcop. & Regul. sub die 1. Jul. 1606. & in una Senogallien. 22. Jan. 1616. & in Anconitana 6. Octobr. 1645. Valde convenit, ut Confessarii extra casum infirmitatis, aut alterius honestae causae, nonnisi in ecclesia audiant confessiones, Sacra Congregatio Episcop. & Regul. in Neapolitana 29. Mart. 1593. Et eadem Sacra Congregatio in una Observanti. 15. Septemb. 1617. approbavit Ordinariam constitutionem, qua prohibebatur, quod Regulares non audirent confessiones secularium in propriis cellis. Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, & ante auroram; Sacra Congregatio Episcop. & Regul. in Paduana 21. Jan. 1620. Prohibitionem audiendi mulierum, puerorumque confessiones extra sedem confessionalem, vel e conspectu, & non interposita cruce, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, laudavit Sacra Congr. Episcop. & Regul. in Collen. 18. Decemb. 1693. referente Eminentiss. Petruccio, & postea literis encyclicis injunxit Sacra Congr. Inquisitionis 4. Decemb. 1694. Confessarii possunt juberi ab Episcopo, ut denegent absolutionem parentibus notabiliter contumacibus quoad filiorum educationem in rebus ad animarum salutem spectantibus; Clemens XI. 16. Mart. 1703. in littera circulari pluribus in locis Italiae expressa, quam utroque idiomate conscriptam refert Genettus in theologia moral. t. 7. in fine, ad Quarum. Confessarii sollicitantes ad turpia gravibus canonicis poenis subiciuntur, & ab ipsis sollicitati eos denuntiare tenentur, aliis incapaces sunt absolutionis; Benedict. XIV. t. 1. constit. 20. incipit Sacramentum Penitentiae: Vide verb. Sollicitatio, ubi abunde de istis. Constitutio contra sollicitantes à Graecis quoque observari debet;

- 13 bet; idem constit. 57. *incip.* Etsi §. 9. Calumniatores confessariorum quoad sollicitationem privantur beneficio absolutionis, quæ Summo Pontifici reservatur extra mortis articulum; idem in cit. constit. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ. §. 9. Confessarii sollicitantes, præter penas alias à jure statutas, perpetuam inhabilitatem incurunt ad celebrationem missæ; idem t. 2. in *Append. num. pag. 46.* Decreto, quod mox subjicietur. *
- 15 * Confessarii caveant, ne penitentes, quos novaverint ab aliis sollicitatos, absolvant, nisi prius, denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denuntiaturos quum primum poterunt. Benedic. XIV. constit. 20. t. 1. Bullar. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ: *
- 16 Confessarii ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem penitente; quæ denuntiatio fieri debet etiam si Confessarius sit simplex sacerdos, & jurisdictione careat, etiamsi pariter post sollicitationem longum jam tempus effluxerit etiamsi sollicitatio fiat à Confessario non pro se, sed pro alio; alioquin penitens sollicitatus denuntiare detrectans incapax sit absolutionis. *ibid.*
- 17 Confessarii ad turpia sollicitantes præter penas alias à jure statutas, perpetuam inhabilitatem incurunt ad celebrationem missæ, ut patet ex seq. Decreto S. Universalis Inquisitionis allato t. 2. Bullar. Benedic. XIV. in *Appendic. n. 8.*

DECRETUM

Sacrae Universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitate Sacerdotum ad turpia sollicitantium, vel sacrificio missæ abutentium ad sortilegia.

FERIA V. DIE V. AUGUSTI 1745.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Benedicto divina providentia Papa XIV., & Eminentiss. ac Reverendiss. S. R. E. Cardinalibus adversus hereticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sacrosanctus Dominus noster sollicitè animadvertens quàm grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto missæ sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ sacramento, ad animarum repationem à Christo Domino institutis, in illorum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod impostero Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimentæ, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut pretextu ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter penas à jure, & apostolicis constitutionibus, ac signanter sanem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem. Quodque ejusmodi decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti & de prædictis, aliisque Summorum Pontificum constitutionibus, juxta præscriptum in generali decreto Supremæ Inquisitionis die 15. Decembris 1633. semel in anno, feria sexta post octavam Assumptionis Beate Mariæ Virginis in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque generali, vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosos componendos curent, ejusdemque comonitionis eorum Suprema Congregatione juratum testimonium exhibeant. Sic expresse in *Appendice tom. secundæ sui bullarii pag. 46. n. 8.*

Ubi advertendum est, quod publicatio hujus decreti sufficit quod fiat per totum residuum mensis Augusti juxta enuntiatum decretum diei 15. Decembris 1633. extensum per alios ejusdem S. Congregationis decretum diei 11. Februarii 1638. à dicta feria sexta ad totum residuum illius mensis ad instantiam Procuratoris Generalis Canonorum Regularium Lateranensium, quàm gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit.

18 Calumniatores vero Confessariorum quoad sollici-

tationem, privantur beneficio absolutionis, quæ Summo Pontifici reservatur extra mortis articulum. Idem cit. constit. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ §. 3.

Injungitur Ordinariis, ut in approbatione Confessariorum constitutionem Gregorii XV. & præsentem Benedic. XIV. ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi & observari curent; ex cit. constit.

Constitutio contra sollicitantes à Grecis quoque observari debet. Idem constit. *incip.* Et si §. 9.

Confessarius caret omni auctoritate, & jurisdictione absolventi socium criminis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; & si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam; quæ absolutio socii criminis neve ipso Jubilæo, vel privilegio Bullæ Cruciatæ impendi valet, ex cit. constit.

In mortis vero articulo, si adsit quicumque alius Sacerdos, qui præsentem necessariis provideat, & Confessarius socius criminis penitenti aliàs disposito absolutionem impendit, absolutio quidem ipsa valet, at Confessarius lethaliter peccat; & excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere Confessarius, nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius Sacerdos saltem simplex, qui eandem absolutionem impertiri possit; vel saltem nisi ipse non possit ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia, vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum, vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, & alium si fieri possit, substituat. Sic ex altera constit. ejusdem Pontificis *incip.* Apostolicis muneris: in qua declarat priorem constit. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ: Vide verb. Complex peccati num. 22. ubi præfati constituto Apostolice affertur ad literam.

Confessarius interdicitur exquirere à penitentibus nomina complicum, sive sociorum in crimine. Idem t. 1. constit. 134. *incip.* Suprema: Et hæc perversa praxis exquirendi à penitentibus complicum nomina, & denegandi absolutionem, nisi illa manifestè, damatur, & prohibetur sub gravissimis penis. Idem t. 2. constit. 8. *incip.* Ubi primum: Vide supra tradit. jam verb. Complex peccati. Et declarat, quod hujusmodi sancto generalis sit pro omnibus locis, & personis. Idem constit. 20. *incip.* Ad eradicanum.

Confessarii hæc in re delinquentes cum suspitione prævi dogmatis denuntiandi sunt officio S. Inquisitionis ab illis, qui quoquo modo eorum delictum cognoverunt. Ne quis decipiat brevitate, & quadam etiam obscuritate, qua Actor hic indicat mentem Benedic. XIV. legat saltem, Notam, quam Rev. P. Philippus de Carboneano opponit quest. 66. art. 2. cap. 1. tract. de Pœnitentia Rev. P. Pauli Gabrielis Antoine in editione Romana. Et idem in cit. constit. *incip.* Ubi primum: Penitentes tamen in casibus, & causis propriis non tenentur denunciare. Idem *ibid.* Inquisitionis officium contra hujusmodi delinquentes procedere debet ad formam suam consuetudinum, & facultatum. Idem *ibid.* Confessarii in præmissis delinquentes sine suspitione prævi dogmatis iudicandi sunt à suis Ordinariis. Idem *ibid.*

Confessarius Ordinarius Monialium unicus pro tota communitate deputari debet. Idem tom. 2. constit. 161. *incip.* Pastoralis Curæ: Præterea extraordinarius iisdem concedi debet bis, aut ter in anno ex decreto Concilii Tridentini. Idem *ibid.* Quod intellige, non de singulis monialibus peculiariter; sed de tota communitate. Idem *ibid.* Hinc autem confessiones omnium monialium, quæ eidem confiteri velint, audire debent. Idem *ibid.* Moniales tamen non tenentur singule eidem peccata sua confiteri; sed sufficit, ut omnes in monasterio degentes eam ipso se sistant. Idem *ibid.*

Confessarii extraordinarii electio pertinet ad Ordinarium loci pro monasterio sibi immediate subiectis, seu ad Superiorem Regularem pro illis, qui de cetero Confessarium ordinarium deputare consueverunt. Idem *ibid.* Pro utrisque Confessariis tam ordinariis, quàm extraordinariis requiritur expressa approbatio Episcopi, seu Ordinarii loci. Idem *ibid.*

Prælati Regularis negligentia in deputatione Con-

fessariorum extraordinariorum suppleri debet ab Ordinario; Ordinarii vero incuria à Generali Majori Pœnitentiario. Idem *ibid.* Confessarius extraordinarius monialibus peculiaris denegari non debet in casu gravis infirmitatis, etiam post alteram, aut tertiam concessionem universo monasterio indulgiam. Idem *ibid.* Et si à Præfato regulari denegatur, Ordinarius loci poterit eum deputare. Idem *ibid.* Idem procedit in casu, quo monialis aliqua frimter recuset ordinario monasterii Confessario confiteri. Idem *ibid.* Si vero Monialis extraordinarium peculiarem Confessarium optet pro spirituali dumtaxat consolatione, & profectu, suadet Ordinarius, & Regularibus Prælati, ut faciles se exhibeant in hujusmodi concessionibus. Idem *ibid.* Pœnitentiarii majoris jura in præmissis firma semper intelliguntur. Idem *ibid.*

Pro Monialibus, quæ Regularibus subiectæ sunt, extraordinarius Confessarius deputari potest tam à Clero seculari, quàm ex altero ordine. Idem *ibid.* Verum saltem semel in anno deputari jubetur Sacerdos, vel secularis, vel alterius ordinis ab eo, cujus est monasterii Prælati. Idem *ibid.* Hanc legem ab Innocentio XIII. & Benedic. XIII. maturo præmissis examine statutam, Pontifex declarat generaliter esse, & ubique observandam, ipseque expresse extendit ad omnia monasteria regularibus subiecta. Idem *ibid.* Et dat facultatem Episcopis, sive Ordinariis supplendi hæc in re Regularium Superiorum negligentiam, & defectum, si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint. Idem *ibid.*

Confessarius extra ordinem alicui monasterio, vel Moniali deputatus, expleto officio suo, abstinere debet ab accessu ad claustra, nec commercium etiam spiritualis causæ obtentu cum Monialibus fovere; Idem *ibid.* Confessarius Ordinarius Monialium Confessiones excipere nequit, durante officio, & deputatione extraordinarii: nec alia ratione huic impedimentum afferre, ut munus suum implere valeat; Idem *ibid.*

Confessarius Regularis Monialium, qui non est monasterii Prælati, Judex esse non potest in causis super nullitate earum professionum; idem t. 2. constit. 47. *incipit.* Si datam (Vid. in add. hisp. verb. Superiores, ubi ad literam eam reperies.)

Confessariorum facultates occasione Jubilæi assignantur à Benedic. XIV. t. 1. constit. 110. *incip.* In suprema §. 4. & sunt illæ jam assignatæ in t. 4. verb. Jubilæum art. 2. *Vid. ibi.*

Confessariorum facultates in vim Bullæ Cruciatæ assignantur ab eodem const. 86. *incip.* Quoniam §. 8. & 10. Vide tom. 1. verb. Bulla Cruciatæ: ubi abunde de omnibus Confessarius electus in vim Bullæ Cruciatæ pro absolute à censuris, & à peccatis reservatis, approbatus esse debet ab Ordinario loci, in quo confessiones excipit. Idem constit. 110. *incip.* Apostolica Indulta §. 2.

Quod extenditur ad alia Indulta similia; idem *ibid.* §. 5. Et declarat ut comprehendere omnes personas in Indulto comprehensas, etiam regulares, sub pena nullitatis absolutionis; idem *ibid.* §. 6. Confessarius absolvens absque approbatione Ordinarii loci, incurrit penam suspensionis ipso facto, & absolutio est nulla; idem *ibid.* §. 12.

Confessarii quotannis, sicut Parochi, vacare debent exercitiis spiritualibus; idem t. 1. constit. *incip.* Ubi primum §. 3.

Confessiones sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato ab Ordinario loci, & absolutiones impertite, nullæ declarantur; idem in cit. constit. *incip.* Apostolica Indulta §. 2.

Confessionem sacramentalem audientes, qui reperti fuerint ad presbyteratum non promoti, curiæ seculari traduntur etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium ordinem habuerint; idem t. 1. constit. 97. *incip.*

Sacerdos §. 8. Dummodo absolutionis formam protulerit, quam si non protulerit, mitiori pena damnari possunt; idem *ibid.*

Confessiones Cappuccinorum Confessariis extraneis permittuntur, deficiente Confessario ejusdem Ordinis; idem t. 1. constit. 49. *incip.* Quod Communi: Etiam quoad casus reservatos, præstita obligatione se præsen-

tandi; idem *ibid.* ubi revocatur statutum ejusdem Ordinis Cappuccinorum, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium ordinem unquam confiteri possent.

Confessiones simultaneæ virorum, & uxorum, apud Græcos improbantur; idem t. 1. constit. 57. *incip.* Etsi §. 5.

In confessione sacramentali aperiendæ sunt circumstantiæ mutantes speciem peccati; Conc. Trid. sess. 14. canon. 7. ubi anathemate perstringit asserentes contrarium. Et probabilis aperiendæ sunt etiam circumstantiæ aggravantes; Benedic. XIV. de synodo diocesana l. 6. cap. 6. n. 1. ex pluribus ibi adductis; Vide tom. 6. verb. Pœnitentiæ Sacramentum art. 2. à n. 102. ad 127. ubi multa ad rem.

Confessarius si audierit penitentem, & non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet se illum absolvisse, nec tunc pariter cum illum absolverit, nam aliàs si de aliquo hoc attestatus fuisset, & de aliquo non, revelationis confessionis periculum subiret. *Instit. eccles. 45. §. 10.*

Si penitens tempore Paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio Confessarii admonetur, ut aliquo tempore abstinere à communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest Confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. Omnis utriusque sexus, de panis. & remiss. *Ibidem §. 16.*

Hic juvat ad rem adducere novissimum decretum, seu responsum Sacræ Apostolicæ Pœnitentiariæ ad seq. dub.

EMINENTISSIMI SIGNORI

«Alcune Monache professe esistenti in questa Città di Torino, umilmente prostrate à piè dell' Eminenze Vostra, espongono qualmente avendo ricevuto della carità di cotesta Sagra Penitentiaria la facoltà in termini consueti, di potersi tre volte l' anno confessare Sagramentalmente da Confessore approvato dall' Ordinario; anzi dalla recente Costituzione del Regnante Sommo Pontefice per il Giubileo, di cui ha graziato li Monisterj, essendo confessoro alle Monache potersi nel tempo ivi prefisso confessare da qualunque Confessore approvato per Monache; insorto perciò qualche dubbio. «Supplicano l' Eminenze Vostra à degnarsi dichiarare in risguardo al primo punto, se quelle parole: «Confessario approvato ab Ordinario, quali si leggono nelle Lettere, o Indulti della S. Penitentiaria, possono nel caso surriferito stendersi assolutamente à Confessore già stato ordinario, o straordinario del medesimo Monastero supplicante senz' altra nuova approvazione? In rapporto al secondo punto, se la predetta Costituzione s' intenda pure come sopra di Confessore stato già approvato per ordinario, o straordinario, o di qualunque altro? Che della Grazia.»

DECRETUM

SACRÆ PœNITENTIARIÆ

Sacra Pœnitentiaria ex deductis in hoc supplic libello respondet, Indulta, de quibus agitur, per ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ organum à Summo Pontifice concessi Monialibus consueta ex eorumdem Summorum Pontificum mente, ac voluntate non cadere sub regulas in constitutione S. M. Clementis Papæ X. *incipit.* Superna, sive in aliis consimilibus contentas. Quare declarat sufficere, quod Confessarius vigore hujusmodi Indulti ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ à Moniali eligendus, fuerit aliàs, etiam semel, ad Monialium confessiones audiendas ab Ordinario approbatus, nisi constet, eundem Confessarium fuisse postea ob demerita, quæ ipsas confessiones concernant, ab eodem Ordinario positive reprobatus. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 10. Martii 1750. = Loco Sigilli. = J. Card. Besutius P. M. = Franciscus Petrucciolus Sacr. Pœnitentiariæ Secretarius.

Extractum ab Originali, cum quo collationatum concordat. In fidem &c. = J. Const.

CONFESSARIUS MONIALIUM.

Vide verb. Moniales art. 5. & supra art. 4. à n. 29. ad num. 58.

CONFESSARIUS REGULARIUM.

Vide verb. Approbatio art. 2.

CONFESSARIUS QUOAD EA,
quæ concernunt sollicitationem.

Vide verb. Sollicitatio, & supra verb. Complex &c. & verb. Confessarius art. 4. num. 12. ad plur. seqq.

CONFESSIO.

1. CONFESIONES sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato ab Ordinario loci, & absolutiones imperitæ ab hujusmodi, nullæ declarantur à Benedicto XIV. constitut. incip. Apostolica Indulta §. 2. * Nemo enim unquam quodcumque privilegium obtinens audire potest confessiones secularium absque approbatione Ordinarii; idque valeat etiam pro confessionibus venialium & mortalium, quæ aliis clavibus subjecta sunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerunt, ut ex Bulla Benedicti XIII. firmatur instit. eccles. 86. §. 8. *
2. Confessionem sacramentalem audientes, qui reperti fuerint ad presbyterorum non promoti, curiæ seculari traduntur, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium ordinem habuerint; dummodo absolutionis formam protulerint, quam si non protulerint, mitiori pena damnari possunt. Idem constit. incip. Sacerdos §. 8.
3. Confessiones Cappuccinorum Confessariis extraneis permittuntur, deficienti Confessario sui ordinis; etiam quoad casus reservatos, præstita obligatione se præsentandi. Idem constit. incip. Quod communi: Vide verb. Cappuccini, num. 5.
4. Confessiones simultaneæ virorum & uxorum apud Græcos improbantur. Idem constit. incip. Eisi §. 5.
5. In confessione sacramentali aperiendæ sunt etiam circumstantiæ mutantes speciem peccati. Conc. Trident. sess. 7. Canon. 7. ubi anathemate perstringit asserentes contrarium. Et probabilius aperiendæ sunt circumstantiæ aggravantes. Idem de synodo diac. l. 6. cap. 5. n. 1. ex pluribus ibi adductis.
6. Per confessionem factam cuilibet Sacerdoti seculari, vel regulari ab Episcopo approbato satisfieri Canonis Omnis utriusque sexus ex constitut. Clementis VIII. anno 1592. & Innocentii X. anno 1645. incip. Exponi Nobis, constat, de synodo diac. l. 7. c. 44. §. 4.
7. Confessionis annuæ præceptum obligat, etiam non commissa gravi culpa, ut quis se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex S. Thoma in 4. sent. dist. 17. quest. 3. quasiunc. 3. instit. eccles. 18. §. 4.
8. Parochus, quamvis pierumque credere debeat parochiano suo asserenti confessionem peregrisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam Paschali, ut ex Roncaglia, instit. eccles. 45. §. 15.
9. Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi confessiones dare regularibus etiam post examen idoneos illos repererint. Instit. eccles. 86. §. 9.
10. In locis, ubi rarissimi sunt Sacerdotes, qui audiant confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocri, ut ex Cardin. de Lugo; instit. eccles. 86. §. 12.
11. Quoad confessionem factam laico in necessitate, dum

non adest copia Sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres Theologos, & etiam apud S. Thomam, recte docet eximius Pontifex, neminem ex veteribus illis agnovisse, laicum esse verum ministrum hujus sacramenti; sed eam confessionem testimonium esse animi demissi & humiliati, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiore gratiam, qua quis ad contritionem & justificationem exciteret. Nihil tamen secius hanc nunquam fieri prastat, cum multis incommodis sit obnoxia. De synodo diac. l. 3. cap. 15. per tot. ubi recte ex decreto Clementis VIII. illicitam esse & invalidam confessionem factam Sacerdoti absentem notatur. Alia ad rem; vide verb. Penitentia Sacramentum. * (Vid. lit. A. pag. 195. col. 1. in add. novis. hisp.)

CONFIRMATIO.

ARTICULUS I.

Confirmatio quoad ejus esse, institutionem, materiam, & formam.

SUMMARIUM.

1. Quis sit Confirmatio.
2. Est de fide, quod Confirmatio sit unum ex septem novæ legis sacramentis à Christo institutum.
3. Confirmatio est sacramentum à Baptismo distinctum.
4. Confirmationis sacramentum fuit institutum à Christo in nocte Cene Domini.
5. Materia remota sacramenti Confirmationis est chrisma confectum ex oleo olivarum, & balsamo simul consecratum ab Episcopo.
6. Mixtura balsami nunquam omittenda est.
7. Mixturam balsami in Sacramento Confirmationis esse de necessitate præcepti, omnes fatentur.
8. An sit autem etiam de necessitate sacramenti, seu essentialiter requisita ad validitatem sacramenti duplex est Aulorum sententia; una affirmativa, & altera negativa: At prima affirmativa tamquam tutor est tenenda, usque ad n. 10.
9. Materia proxima Confirmationis est unctio cum chrismate facta in modum crucis in fronte confirmandi, usque ad n. 12.
10. Adducitur instantia, & solvitur, usque ad n. 17.
11. Forma consueta sacramenti Confirmationis in ecclesia latina est ista; Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
12. Omnia verba hujus formæ sunt necessaria necessitate præcepti in ecclesia latina.
13. Immo verba supra dicta, vel eis æquivalentia, sunt etiam necessaria necessitate sacramenti, usque ad numer. 25.

CONFIRMATIO est sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum; est in re communis. Est de fide, quod Confirmatio sit unum ex septem sacramentis à Christo Domino institutum; sic definitum est in Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum §. Secundum, ibi: "Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo (quod nitorem significat conscientiæ) & balsamo (quod odorem significat bonæ famæ) per Episcopum benedictum." Et in Concilio Tridentino sess. 7. de sacramentis in genere can. 1. ibi: "Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam Unionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie sacramentum, anathema sit." Et Canon. 1. de confir-

firmatione, ibi: "Si quis dixerit, Confirmationem baptismatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant, anathema sit." & hæc veritas deducitur ex sacra scriptura Act. 8. ibi: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum; ubi Eugenius IV. in cit. Concil. Florent. Per manus impositionem, chrisma is unionem & per accipere Spiritum Sanctum, intelligit donum gratiæ sanctificantis. Ex quo loco etiam evidenter colligitur, Confirmationem esse sacramentum à Baptismo distinctum; dicit enim ibi Sacer textus de Apostolis loquens: "Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu." Confirmationis sacramentum fuit institutum à Christo in nocte Cene Domini, unde promanavit consuetudo sacrum chrisma conficiendi in die Cene Domini, quæ quidem in ecclesia semper observata fuit, & adhuc observatur: Est communis, & probabilior Doctorum sententia, & hæc sententiam expresse tradidit Fabianus Papa, epistola 2. cap. 1. ad Orientales, ibi: "In illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessoris nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit;" ubi per chrisma sacramentum Confirmationis intelligitur, quod totum postea confirmavit etiam Catechismus Romanus de sacrament. Confirm. * At Benedictus XIV. instit. ecclesiast. 6. §. 5. supervacaneum dicit perscrutari, quoniam tempore Sacramentum hoc Saluator instituerit, non enim constat, num illud instituerit, cum imposuit manus capiti puerorum; Matth. 19. num instituerit tantum, cum ministravit; num in ultima Cœna, cum dixit Apostolis; Accipite Spiritum Sanctum, num tandem ipsa Pentecostes die. * Materia remota sacramenti Confirmationis est chrisma confectum ex oleo olivarum, & balsamo simul consecratum ab Episcopo, est communis, & habetur expresse ex Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum, §. Secundum, ubi patet ex præcis verbis adductis supra sub n. 2. & ex Conc. Trid. sess. 7. can. 2. de confirm. ibi: "Si quis dixerit, injuriosus esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit." Mixtura balsami nunquam omittenda est, cum chrisma non sit simplex oleum, sed oleum cum balsamo mixtum; cap. unic. de Sacra Unctione, & cap. 1. de sacram. non iterandis. Mixturam balsami in sacramento Confirmationis esse de necessitate præcepti omnes fatentur; controversia solum est inter Doctores, an sit etiam talis mixtura necessaria necessitate sacramenti, seu essentialiter requisita ad validitatem sacramenti. Plurimi tenent mixturam balsami necessario requiri ad validitatem sacramenti, taliter quod sacramentum ministratum cum solo oleo consecrato, absque mixtura balsami, sit invalidum & nullum: Et horum sententia colligitur ex cap. unico, §. Per frontis, de Sacra Unctione, ex Conc. Florent. in cit. decr. de unione Armenorum §. Secundum, ubi ait: "Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedictum," quibus verbis palam confutetur Concilium, quod sicut tam oleum, quam balsamum propriam habet mysticam significationem, ita etiam utrumque æqualiter ingreditur ad constitutionem chrismati, quod est materia requisita essentialiter ad valorem hujus sacramenti, & ex verbis Fabiani Papæ dicti. epistol. 2. ibi: Et divina institutione provenire, ut oleum cum balsamo conficiatur: & ex verbis formæ, quæ talis est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis; in nomine Patris &c. nam hæc verba essent falsa, si solum oleum sufficeret ad validitatem, cum istud non sit chrisma. Et ita hæc sententiam tuetur Fagn. in cit. cap. unic. de Sacra Unctione n. 53. Bellarm. lib. 2. de confirm. cap. 8. & 9. Pirlhing. l. 1. tit. 16. de sacramentis non iterandis num. 3.

Reiffenst. ibid. n. 21. Filluceius de sacram. Confirmat. c. 1. q. 5. Basilius Pontius eod. tract. part. 2. cap. 2. Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 1. n. 34. Villalobos in Summa tom. 1. tract. 6. diff. 2. n. 2. aliique passim communiter, & tutius. Alii vero tenent, mixturam balsami requiri tantum de necessitate præcepti ecclesiæ, non autem de necessitate sacramenti ad validitatem ipsius. Et horum opinio colligitur ex c. Pastoralis 1. de sacr. non iterandis, & tenent Gonzalez in cap. Presbyter 2. eod. tit. Cajetanus in 3. part. q. 72. art. 1. Navarr. manual. c. 22. n. 8. Sotus in 4. dist. 3. q. unic. art. 2. Valent. contr. tom. 4. disp. 5. q. 1. part. 2. Unde in hujus materiæ ambiguitate juvat adducere mentem Sacræ Congreg. Concilii, in qua cum fuisset propositum, Bertam suscepisse filiam Caji in sacramento Confirmationis ab Episcopo per errorem ministrato cum oleo infirmorum; & exinde dubitaretur, an ortum esset impedimentum cognationis spiritualis inter prædictos matrimonium contrahere cupientes. Sac. Congr. respondit ad mentem; quæ fuit, ut dispensaretur ad cautelam: die 4. April. 1693. in dubio cognationis spiritualis, ex quo ut refert, & tenet Eminentissimus Petra tom. 3. comm. in const. 14. Innoc. IV. n. 4. videtur dictam Sacram. Congregationem magis inclinasse priori sententiæ, ut tutiori, & sic sentio & ego esse tenendum. Sic etiam Rosignolus de sacramentis in genere part. 3. q. 2. art. 1. à n. 12. & 17. citans S. Thom. S. Bonaventuram, & Concil. Coloniense, & recte respondens ad canonem Pastoralis 1. de Sacramentis non iterandis, ut respondet Reiffenstuel, & Pirlhing. locis citatis. Vide ipsos ubi multa adducunt ad rem. (Vid. verb. Irregularitas, in addit. hisp.)

Materia proxima sacramenti Confirmationis est unctio cum chrismate facta in modum crucis in fronte confirmandi. Est communis, & patet ex Concilio Florentino loc. cit. Ritualibus, & praxi ecclesiæ; & colligitur ex Sacra Scriptura 2. Corinth. 1. ibi: Qui confirmati sunt robiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos & dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus nostris, loc. cit. Et quod hæc unctio cum chrismate debeat fieri in fronte confirmandi, habetur ex usu perpetuo universalis ecclesiæ, & ex Concilio Florentino loc. cit. ubi habentur præcisa verba: "Ideo in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmatus inungitur, ut Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod crucis signatur." Nec valet objicere, quod Apostoli Act. 8. 19. confirmantes imponebant manus super baptizatos; adeoque impositio manus episcopalis, & non unctio cum chrismate est materia proxima Confirmationis. Non valet, inquam, quia nulla manus impositio distincta ab ea, quæ reperitur in ipsa chrismati unctio, est essentialis sacramenti Confirmationis materia; Eugenius enim IV. in Concilio Florentino loc. cit. expresse ait: "De solis Apostolis legitur (quorum vices tenent Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctum edabant;" in locum autem illius manus impositionis, datur in ecclesia Confirmatio. Tum quia nec in Pontificali Romano, nec apud Græcos fit mentio impositionis manus. Quod autem Apostoli in principio nascentis ecclesiæ per impositionem manus contulerint Spiritum Sanctum, hoc factum est ex singulari Dei dispositione, & speciali Christi privilegio pro eo solum tempore, quo super baptizato descendebat Spiritus Sanctus in signis sensibilibus; tunc enim Apostoli non utebantur chrismati unctio, quia non erat necessaria materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose apparebant, quæ supplebant vicem ejusdem materiæ, seu chrismati unctio; quia tamen etiam tempore Apostolorum ille visibilis descensus, seu in signis sensibilibus miraculosa apparitio Spiritus Sancti cessavit, ideo etiam postea Apostoli per unctioem chrismati confirmabant. Sic Divus Thomas 3. part. quest. 72. art. 4. in respon. ad primam, Scotus in 4. dec. 7. quest. 1. Mastrius, Faber, Amicus, Rosignolus, aliique passim.

Forma consueta sacramenti Confirmationis in ecclesia latina est ista, Signo te signo crucis, & confirmo te chris-